

Handwritten text on the right edge of the page, including the number '2' at the bottom.



Nr.	Præfides	
1.	Kresf.	De differentiis juris communis & Brunsvicensis
2	Conrade	- jure Quiritium a civitate Romana non diverfo.
3	Larbach	- Hæres ex jure vario
4	Obrecht	Non nimium arario liberorum.
5	Loncker	De jure impetratae aquæ?
6	Mühlpfort	- morbo et cura egrotorum.
7	John	- Necessitate
8	Müller	- veteris munificentiæ potestate.
9	Beier	- nemine
10	Schawl	- jure mellicidi.
11	Helwig	- jure manus sinistrae
12	Thomasius	- jure circa somnia
13	Conradi	- studiosorum dignitate in Academiis.
14	Bechmann	- privilegii studiosorum
15	Jouison	- Non de quibuslibet malgrotum.
16	Hedler	- jure nurus
17	Wildvogel	- jure circa tempestates
18	Bodinus	- jure Salinario Hallensi.
19	Reinhardt	- molendinis
20	Waldschmidt	- molendinis bannanis.

Nr Grafides

- | | | |
|----|--------|--|
| 21 | Crell | De translatione mortuorum per territorium alienum. |
| 22 | Muller | - jure peregrinantium. |
| 23 | Winzop | - dolo culpa et casu fortuito |
| 24 | Struv | - juribus Palatii Principis. |
| 25 | Crell | - thesaurus a mercenariis occultatus |
| 26 | Crell | - thesaurus a mercenariis inventus |
| 27 | Scheid | - cauponarum origine. |
| 28 | Scheid | - esquad just. circa vinum ad usum |
| 29 | Scheid | - jure coquendi cervisiam. |

FRANCISCI CAROLI CONRADI ¹³

IURISCONSULTI ET ANTECESSORIS

ORATIO

DE

STUDIOSORVM
IN ACADEMIIS
DIGNITATE

PUBLICE PRONVTIATA

IN ACADEMIA IVLIA

D. XXV. IVNII ANNO MDCCXXX.

CVM

MAGISTRATVM ACADEMICVM

SVSCIPERET.



HELMSTADII

EX OFFICINA SCHNORRIANA.

FRANCISCK CAROL CONRAD

FRANCISCK CAROL CONRAD

FRANCISCK CAROL CONRAD

FRANCISCK CAROL CONRAD

FRANCISCK CAROL CONRAD

FRANCISCK CAROL CONRAD

FRANCISCK CAROL CONRAD

FRANCISCK CAROL CONRAD

FRANCISCK CAROL CONRAD

FRANCISCK CAROL CONRAD



ORATIO
DE
STVDIOSORVM
IN ACADEMIIS
DIGNITATE.

ILLVSTRISSIMI COMITES,
DECANI SPECTABILES,
PATRES AMPLISSIMI,
DIVINAE ET HVMANAE SAPIENTIAE
PROFESSORES EXCELLENTISSIMI,
COLLEGAE CONIVNCTISSIMI,
HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI,
ET VOS, QVI SPEM PATRIAE SVSTINETIS,
GENEROSISSIMI AC FLORENTISSIMI
ACADEMIAE CIVES,
NOSTER AMOR, NOSTRAE DELICIAE.

Magistratum ineunti verba facienda
sunt, quibus auspicia rite capian-
tur, non magis more maiorum,
quam iubente lege, qua sapientif-
simus Academiae nostrae conditor solennem
huius diei ritum ordinavit. Ne itaque ex-

IV ORATIO DE STUDIOSORVM
tra oleas vagari videar, atque oratione, qua siue
eruditionis siue eloquentiae laudes adfectem,
vobis molestus existam, de argumento disse-
rere constitui eo, quod vobiscum, PATRES
CONSCRIPTI, me per totum hoc seme-
stre occupatum habebit, et de quo excolen-
do tuendoque vobis maxime connitendum
erit, *vobis*, inquam, *de quorum Dignitate di-
cere fert animus*, ORNATISSIMI ACADE-
MIAE CIVES.

Si quidem iniquos huius consilii aestima-
tores vereri oporteret, facile intelligo, quae
sinistriora mihi ab illis iudicia sustinenda
forent. Eccum! diceret aliquis, popularis
aurae in muneris ingressu manifestum capta-
torem, deliniturum aures atque animos ci-
uium. His imperii vires explicare, his le-
gum obsequia cum minis poenarum incul-
care, his parata ad coërcendos immorigeros
potestatis instrumenta ostendere oportebat,
claves, quibus carceres aperiantur, & figil-
lum

IN ACADEMIIS DIGNITATE. V

lum maiestatis, quo munitura sit Alma Iulia horrendum carmen, aqua ignique interdictura male meritis ciuibus, quibus vitam exlegem interdicendo nihil profecit. Vah! audirem forte alium indignabundum, cui non est dictus Hylas? De dignitate studiosorum & de priuilegiis eorum, post infinitas aliorum commentationes, ex hoc sermone aliquid opus erat resciscere? scilicet! Censeret, vt quisque a dicturo alienior foret, alius, vt fieri solet, alia. Verum, nihil horum, sed benigniora omnia ab hoc Amplissimo confessu mihi certissime polliceor: neque indigne Vos, reliqui **AVDITORES O. O. HONORATISSIMI**, laturos confido, quod cum iis, quorum causa haec prouincia humeris meis imponitur, hac oratione potissimum agere decreuerim.

Si nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur, nemo me superuacua dictorum pronuntiabit, qui studiosorum iuuenum

VI ORATIO DE STUDIOSORVM
num dignitatem perspexerit esse neruum,
quo Academiae felicissime reguntur, esse a-
nimam, quae discantibus verum vitae, ex-
tra quam misere viuitur, inspirat sensum,
esse vnum, quod in Academia Doctores suis
curis, vigiliis ac doctrinis pretium statuere
conuenit, non pretio nummario aestimare,
nec dehonestare rem sanctissimam, diuinae
et humanae sapientiae professionem. Nemo
enim hoc numero dignus habendus, iudice
VLPIANO, a) qui non salutis hominum et
studiorum curam agere malit, quam pecu-
niae quaerendae: qui non sit philosophus,
quem hoc primum profiteri oportet, *merce-
nariam operam spernere*. Vestra, vestra di-
gnitas, vestri ordinis praestantia est, DILE-
CTISSIMI CIVES, quam Professores semper
in animis gerimus, quam ad illum, quem
DEVS, et qui DEI vices in terris agunt, vo-
bis destinarunt, locum perducere totis viri-
bus

a) VLPIANVS in L. 1. §. 1. 4. 5. D. de extraord. cognit.

IN ACADEMIIS DIGNITATE. VII

bus laboramus. Vestra dignitas est, quae vobis quotidie ante oculos ponenda, et ad quam tuendam identidem excitandi estis, quo b) vosmet ipsos sic eruditos, sic virtute ornatos ostendatis, ut spes vos pulcherrima foueat, toto studiorum opere legitime perfecto, posse rem publicam, siue sacram, siue ciuilem, in partibus eius vobis credendis gubernari.

Hoc enim omnis verae, quae vobis nunquam latum vnguem deserenda est, dignationis fundamentum existit, quod Supremus rerum humanarum Arbiter vestrum alios diuinarum doctrinarum et voluntatis suae, quas in sacri Codicis oraculis manifestauit, interpretes, alios diuinarum atque humanarum legum custodes, iustitiae administrandae, ut suum cuique tribuatur, vis et iniuriae, societatis inter homines constitutae pestes, arceantur, alios vitae hominum seruandae, depellendis morbis, membrorum integritati curan-

b) *Prooem. Inst. §. vlt.*

VIII ORATIO DE STVDIOSORVM

curandae, omnes saluti hominum promouenda
dae destinavit: si quidem hoc agitis, cuius
gratia literarum et sapientiae studiis in Aca-
demia nomina dedistis.

Erigite ad hoc fastigium animos et vos
non vobis, non singulis hominibus, aut exi-
guo hominum numero, sed imo toti, quam
latissime patet, generi humano magnum hoc
officium debere, mentibus vestris infigite.
Vestrum esse mementote,

*Patriae impendere vitam,
Nec sibi, sed toti genitum se credere
mundo. c)*

Erratis perniciosissimum errorem et longe
plurimum dignitati vestrae detrahitis, si, cui-
cunque eruditionis parti vos inprimis addi-
xeritis, studiorum fructum ex priuatis singu-
lorum commodis metiamini. Si enim hoc
consilio in Academia degendum esse creditis,
vt, velut in opificina artem, quae panem et
rem

c) LVCANVS *Pbarsal. Lib. II. v. 328.*

rem familiarem vobis conciliet, addiscatis: ipsi vos vulgo immittitis ac miscetis, a quo vos liberaliora studia fecernere debebant. Ne quis vanam arrogantiae pacne ridiculae auram vobis sic adflari criminetur, quaero, num alia sit differentiae ratio, qua eruditus ab illiterato vere discerni possit, praeterquam, quod ille ad eam hominis felicitatem et perfectionem adspirat, qua datur, depulsis animo errorum morbis, non res solum, sed

rerum cognoscere causas, d)
 Absque huius cognitionis studio, rerum notitia, quam quis memoria complectitur, cum loquacitate coniuncta, aut agendi operandive quaedam dexteritas, experientia et usu comparata, si pro eruditione habeatur: saepe sciolus aliquis ludimagister, haud contentus, quod rusticis suis ut

B

can-

d) VIRGILIVS *Georg. Lib. II. v. 290.*

cantor placet atque

Optimus est modulator, e)

sed postillas expilare et stentorea voce con-
cionari peritus, erit Theologus: futor, vltra
crepidam sapiens et fauer,

omni

*Abiecto instrumento artis, clausaque
taberna, f)*

Iureconsultus prodibit, si, quae saeculi felici-
tatis est! Iurisprudentiae forensis epitomen
vernaculam inter opus et calceos consuen-
dos tenaci infixerit cerebro. ac sibilare et la-
trare nouerit: quidni? videas enim hanc lau-
dem adfectare pedissequos. Quis vero non
erit Medicus, si medicamenta e formulario
praescribere, siue ex memoria dictare, et san-
guinem mittere ad gratiosum illud ac vene-
rabile nomen tuendum suffecerit: nonne,
quod ille dixit,

Fin-

e) HORATIVVS *Lib. I. Sat. III. v. 129.*

f) *Ibidem v. 137.*

*Fingent se medicos omnes, idiota et a-
rator,*

Iudaeus, nutrix, histrio, rasor, anus? g)

Enimuero illa, quae ad panem lucrandum et pecuniam mercenaria opera faciendam satis esse, queunt, extra Academiam sibi comparare licet: neque ad eorum disciplinam promouendam opus erat, ut summi Principes tantae molis sedes Musis conderent tantis curis ac vigiliis, elargitionibus tantis. Non opus erat, *iuuenes causa studiorum peregrinari et amore scientiae exules fieri.* h) Si filius domi apud paedagogum quatuor partes Grammaticae didicisset, poterat pater functus officio videri, quod cum rustico illo in coena Trimalchionis conuiuia gloriosus dicere posset: i) *Emi puero meo aliquot libros*

B 2 *ru-*

g) IO. TEXTOR in *Sylloge var. Aenigm.* p. 86.

h) *Auth. Habita, C. Ne filius pro patre.*

i) PETRONII *Fragm. Trag. c. 46.*

rubricatos, quia volo illum ad domus rationem aliquid de iure gustare. Habet haec res panem. Nam literis satis inquinatus est. Quod si resilierit, destinaui illum artificium docere, aut tonsorium, aut praeconem, aut certe caudicum, quod illi auferre non possit, nisi Orcus. Ideo illi quotidie clamo: Primigenie, crede mihi, quicquid discis, tibi discis! Vides Phileronem caudicum? si non didicisset, hodie famem a labris non abigeret. Modo, modo collo suo circumferebat onera venalia: nunc etiam aduersus Norbanum se extendit. Literae thesaurum est, et artificium nunquam moritur!

Audiuistis sermonem rustici, pretium literis pro suo captu stantem et, quae sint studia ad panem lucrandum comparata, probe intelligentis: qui tamen nunquam audiverat Philosophos, et Primigenium suum *literis satis inquinatum* censebat, quod Gram-
mati-

IN ACADEMIIS DIGNITATE. XIII
maticae elementa didicerat. Sed mitto rusticum cum vulturio suo pullo, quem fortunis hominum olim infidiaturum domi suae educabat. Neque immorabor demonstrationi, qua veram eruditionem sine rerum diuinarum, atque humanarum cognitione haud existere pluribus euincam: id quod utique efficacius fit ipso opere et ratione, quam COLLEGAE HONORATISSIMI summa cum doctrinae fama et meritorum ad posteros laude constanter seruant. Et, *o felices, sua se bona norint*, ACADEMIAE CIVES! Ostenditis autem vos dignitatis vestrae intelligentes O MEI! si frequentes et assidui docentibus operam datis, si PRAECEPTORIBVS vestris publice priuatimque honorem ac cultum exhibetis, si composita ad humanitatem viuendi ratione vestro exemplo confirmatis, verissimum esse illud, k)

B 3

inge-

(k) OVIDIVS *Epistolar. ex Pont. Lib. II. Epist. IX. v. 47.*

ingenuas didicisse fideliter artes,

Emollit mores, nec finit esse feros.

Sic vitam agendo, veram vos sectari ostenditis LIBERTATEM, qua desinimus *velle*, quae *concupiscimus*, vt *faciamus*, quae volumus, dum legibus obtemperamus, *eaque facta*, quae *laedunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et vt generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credimus.* 1) Hac viuendi ratione iustos vos probatis vestrae dignitatis aestimatores et custodes retinentissimos. Quid enim vos manifestius secernat a vulgo, quam si sponte agitis, quod ab imperita multitudine obtinendum est poenarum minis et executione: si non magis insignibus, quibus ordinem vestrum Principes sapientiae cultores, Academiarum nutritores, auctum esse voluerunt, privilegiis ornari gaudetis, quam morum
honc-

(1) PAPINIANVS in l. 15. D. de condit. inst.

honestate, probitate, suauitate, decore eos vos praestare curatis, qui appellamini, STUDIOSI: quo nomine cum vos homines appellant, neque addunt studii nomen, perquam honorifice illud SAPIENTIAE AC VIRTUTIS STUDIVM, inter reliqua mortalium studia eminentissimum, significari nostis. Macti hac virtute, macti hoc animo estote, qui tales vos gerere instituitis, o mei! et date, quaeso, operam, vt vos porro dignos exhibeatis immortalibus beneficiis, quae Diuinum NUMEN per sapientissimum huius Academiae conditorem in vos deriuauit, et per benignissimos Nutritores hodieque in vos quotidie deriuat. Excitauit DEVS Optimus Maximus Diuum IVLIVM, exemplo immortalis, dignitatis vestrae adsertorem: qui cum filium HENRICVM IVLIVM primum Academiae Rectorem constitueret, eius consilii rationes has palam fecit:

m)

m) *Se id voluisse, vt benevolentiam et studium erga Academiam et doctrinas declararet, et se honorifice de studiis literarum sentire, eaque amare et venerari, ostenderet. Vt enim, quae est Optimi Principis oratio aurea, quisque Princeps optimus et maxime salutaris generi humano fuit, ita hanc curam inter praecipuas duxit excitandi et ornandi studia literarum, sine quibus nec religio vera in templis, nec iustitia in imperiis, neque humanitas in priuatis moribus retineri potest. Vicissim etiam scholasticos Academiae Iuliae, cum videant Principes viros honorifice de studiis sentire, speramus, inquit, reipublicae causa magis amandas et studiosius colendas esse literas, existimatuos esse.*

Quid hoc de literarum, de vestra, qui literas colitis, dignitate tanti PRINCIPIS testimonio

(m) In Statutis, quibus D. IVLIVS Academiam suam muniuit et confirmauit, Cap. de officio Rectoris.

stimonio illustrius? quid spe illa, quam Diuus IULIVS concepit, efficacius esse potest, quo in illo sapientiae ac virtutis studio, cui vos sacramento in hac Academia dicto obstrinxistis, strenue pergatis? Imo vero quae praesentior vis esse potest, quae vos ad hoc, quod recte agitis, porro agendum exstimulet, quam quod illum erga literarum studia et in hanc Iuliam adfectum, illam de literis earumque studiosis existimationem semper fecerunt hodieque faciunt testatissimam MAXIMI PRINCIPES, qui Maiestate sua non indecoram statuentes Academiae curam ac gubernationem, DIRECTORES eius MAGNIFICENTISSIMI salutari inter Regios ac Principales titulos non dedignantur. Enimvero proprium HOC SERENISSIMAE DOMVS GVELFICAE decus existit, quod Principes ex ea oriundi semper non magis terras ac populos imperio regere, quam Musarum

Prae-

C

XVIII ORATIO DE STUDIOSORVM

Praefides et Tutores agere meminerint, has sibi esse statuerint ARTES!

Sed nec vnquam illi Diui IVLII voto euentus in Academia nostra defuit, vt Illustrissimi Hospites ad eam accedentes dignitatem eius splendore suo augerent et, dum ante principia sese conspiciendos darent, ciuium animos ad partes suas nauiter obeundas accenderent, atque re ipsa docerent, quid in sapientiae ac virtutis studio magna exempla valeant. Hoc ornamento, his commodis Academiam nostram hodie vos augetis, ILLVSTRISSIMI COMITES, quos dum in hoc Musarum templo coram intuemur, simul animis obuerfantur TVAE Gentis, ILLVSTRISSIME COMES OETTINGENSIS, in bello et pace decora, omni dicenda posteritati: tum vero se offert REVERENDISSIMI atque ILLVSTRISSIMI FRATRIS TVI imago, qui hoc insigne suae de studiorum Academicorum dignitate existimationis monumentum-

numentum extare voluit, vt in hac cathedra, praesente cum Serenissima Coniuge Diuo LVDOVICO RVDOLPHO, post disputationem institutam, qua cum omnium audientium summa admiratione excellentissimi ingenii dotes et insolitae doctrinae vires explicauit, sese Doctoris honoribus, quid inquam? honores Doctoris suo splendore exornari passus est, ac pro incredibili optimarum scientiarum studio, se per omnem vitam literis honorem habiturum esse, hoc facto non minus, quam sermonibus quotidianis certissime significauit. Et quis cogitat SCHVLENBURGIOS, quin ei succurrat memoria Heroum, quorum ingens series in toga et sago illustris celebratur, ex quibus etiam aliqui, quod maximum in bonas literas amoris documentum praedicari fas est, insigni munificentia studiosis literarum stipendia prospexerunt, quorum eximius semper in hanc Academiam fructus redundauit.

Constat literis suus honos, constat literarum studiosis in Academiis, et in nostra IVLIA, sua dignitas: ac vos quidem, ORNATISSIMI CIVES, ad quos mea redit oratio, sic animatos fore, prorsus existimo, ut his, quarum nomine vestram dignitatem commendavi, laudibus non modo cum vestri ordinis aliis, sed etiam vobiscum ipsis honestissimum certamen ineatis, idque hoc in primis semestri acturi sitis. Experiemini me certe fidissimum vestrae dignitatis custodem, qui non solum, ne quid vestris iuribus ac privilegiis derogetur, provide curabit, sed et qui maxime laetabitur, si per vos ipsos legibus sponte obtemperantes, et sic vera libertate Academica utentes, omni coactione et asperioribus remediis abstinere licuerit. In vobis ipsis ac vestra vivendi ratione hoc repositum erit: quo fiet, ut hae claves rubiginem porro sentiant, ut in carceribus mures ac lemures dominantur et

IN ACADEMIIS DIGNITATE. XXI

inuisa Mineruae

*In foribus laxos suspendat aranea
cassès, n)*

vt denique hoc sigillo nullum relegationis edictum, sed tantummodo diligentiae ac vitae laudabiliter actae testimonia roborentur. Ego enim, qui me hodie sanctissimo iureiurando obstrinxi, *me Academiae Iuliae dignitatem fideliter ac sedulo conseruare ac defendere, et leges ac statuta illius efficaciter pro mea virili exequi et tutari velle*, summa animi religione hoc agam, ne vera Academiae eiusque ciuium dignitas aliquid decrementi capiat: quae cura secus viuentibus indulgere me haudquam patietur. Quin ex mandato D. I V L I I publice protestor et conceptissimis verbis spondeo, *me commendatum officium, tuendi et exequendi leges Academiae, quibus studia et mores scholasticorum regendi sunt, sedulo atque ex fide obseruaturum.*

C 3

Ita

n) VIRGILIUS *Georg. Lib. IV. v. 247.*

XXII ORATIO DE STUDIOSORVM

Ita vero non committam, vt effrenis licentia inducatur, et collapsa disciplina humanitati et ingenuis moribus nuntius mittatur.

Quae res vt bene succedat, vestram, PATRES CONSCRIPTI, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI, opem, consilium, prudentiam mihi haud vnquam defuturam esse, prorsus confido, vtque hoc beneficio me iuuare velitis, obnixè vos rogo atque obtestor.

At TE, SVMMÈ atque AETERNE DEVS, *qui es vnus verus et perpetuus omnium Academicarum, quae verae de TE doctrinae, legum, artium et virtutum TIBI placentium domicilia et templa sunt*, RECTOR, per FILIVM TVVM, DOCTOREM ET SERVATOREM NOSTRVM, *fontem omnis sapientiae et doctrinae salutaris*, toto pectore supplex veneror, *vt lucem doctrinae de TE et honestarum artium ac virtutum omnium in hac Academia accensam serues, vtque me*
in

*in officio regas, gubernes et adiuues, ut
mea consilia, studia, conatus et labores re-
gendi ac docendi omnes TIBI grati et Ecclesiae
ac reipublicae salutare sint, et Academiae
inprimis ac discipulorum utilitati commodisque
feliciter seruiant.* Exaudi, DEVS, has, quibus
piissimo huius Academiae fundatore verba
praeunte o) TIBI supplico, preces, et qui
mihi a prima aetate adfuisti tuoque auxilio
per hoc decennium, quod in hac Academia
exegi, me nunquam destituiti, concede
mihi vires oneri, quod in humeros meos re-
cipio, suffecturas.

Saluos fac OPTIMOꝛ PRINCIPES, quo-
rum ex felicitate incolumitas nostra pen-
det. Serua AVGVSTISSIMVM MAGNAE
BRITANNIAE REGEM, GEORGIVM
II. FIDEI DEFENSOREM, DIRECTOREM
ACADEMIAE NOSTRAE MAGNIFICEN-
TISSIMVM. Largire IPSI continuos trium-
phos, nosque fac compotes votorum, qui-
bus

o) In Statutis Academiae Iuliae, Cap. de officio Rectoris.

XXIV ORAT. DE STUDIO IN ACAD. DIGN.
bus aduenientem in has terras excepimus.
Serua CAROLVM, PRINCIPEM AC
DOMINVM NOSTRVM INDVLGENTISSI-
MVM, et quod a TE quotidianis votis pre-
camur, fortunatum vndique ac longaeuum
praesta. Serua vniuersam GENTEM GVEL-
FICAM florentem atque omnis felicitatis
genere cumulatissimam, vt quo magis in dies
foederibus ac nuptiis Europae potentissimis
familiis nectitur, eo firmiter per ipsam por-
ro tranquillitas et salus populorum stabilia-
tur. Serua purpuratos ac proceres, pro salu-
te patriae excubantes et Academiae nostrae
curam agentes. Fac denique, vt hoc se-
mestri tempore et simul anno exeunte, dum
deposito Magistratu Academiam successori
tradam, TE ob seruatum eius dignitatem
laeti omnes laudibus ac gratiis deuo-
tissimis concelebremus.

D I X I.

DA A 6546

ULB Halle 3
002 937 271





SB

von 8

von 8 R







FRANCISCI CAROLI CONRADI ¹³
IVRISCONSULTI ET ANTECESSORIS
ORATIO
DE
STUDIOSORVM
IN ACADEMIIS
DIGNITATE

PVBlice PRONVNTIATA
IN ACADEMIA IVLIA
D. XXV. IVNII ANNO MDCCXXXV.
CVM
MAGISTRATVM ACADEMICVM
SVSCIPERET.



HELMSTADII
EX OFFICINA SCHNORRIANA.